



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. De effectu renuntiationis conditionalis, & resignatione beneficij in fraudem alterius facta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Quid possit, qui sub juramento etiam renuntiavit suo beneficio, non obtinente hac resignatione jurata, ad idem beneficium ex novo titulo redire, si iterum illi v. g. conferatur, sive ad illud iterum præsentetur &c. certum est ex *c. cum inter 2. h. t.* cum renuntiatio talis, & annexum juramentum strictæ sint interpretationis, & futura non præsumantur comprehendere, ac in omni juramento salvum debeat esse jus superioris, *c. venientes 19. de jure jur.* Nisi ob crimen renuntiaverit Episcopatus, & religiosus factus sit, penitentia agenda causa, hic enim, etsi de novo in Episcopum eligatur, ad eundem redire tamen non potest, uti habetur in *c. post translationem 11. h. t.* imò potest, si majori dignitati v. g. renuntiavit, minus dignum, & inferius beneficium admittere, *c. ad supplicationem 9. h. t.* cum melius illi sit, habere beneficium minus, ex quo sustentetur, quam carere majore dignitate cum defectu sustentationis.

§. III.

De effectu renuntiationis conditionalis, & resignatione beneficii in fraudem alterius facta.

Ad primum resp. conditionalis renuntiationis plenus effectus, ita ut vacet beneficium taliter resignatum, non haberi, antequam conditio, sub qua fit renuntiatio, purificata est, & adimpleta, prout actuum conditionatorum ratio requiritur & hinc nulla est renuntiatio in favorem alterius certæ personæ facta, & admissa, si postmodum non eidem, in cujus favorem resignatum est, sed alteri cuidam tertio conferatur beneficium.

Ad secundum resp. nullam esse resignationem beneficii, quæ fit in fraudem alterius, uti colligitur ex *c. si tu 2. h. t. in 6.* non enim debet quis alterius odio prægravari, regula 20. in 6. neque fraudatori sua malitia debet esse lucrosa *l. 1. ff. de dolo.*

T I T V L V S X.

DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA PRÆLATORUM.

§. I.

Quomodo defectus seu negligentia Prælatorum inferiorum in conferendis beneficiis commissa, per devolutionem, potestatis ad superiores suppleatur.

Si ordinarius collator, ad quem spectat beneficiorum provisio intra tempus à jure definitum beneficium vacans non contulerit, is jure conferendi pro

ea vice privatur, & regulariter illud ad immediatum superiorem devolvitur, & ab hoc negligente gradatim ad alium superiorem *c. 2. de concess. præbend. & c. licet 3. h. t.* ita statuente jure, ne beneficia diu vacent, & ne diu jura eorum sint in incerto, quod utrumque Ecclesiæ damnosum est; neque conceditur post elapsura tempus, quod ad eligendum, vel conferendum concessum est, purgandi